FACVLTATIS MEDICAE

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

H. T.

PRO-CANCELLARIVS

D. AVG. FRIDERICVS WALTHER

CONSILIARIVS AVLICVS ET ARCHIATER REGIVS

THERAPEVT. P. P. ET MEDICORVM ORDINIS DECANVS

DE

SILPHIO IN VETERVM NVMMIS AC DIVERSIS PLANTAE SPECIEBVS

DISSERIT

ET

PANEGYRIN MEDICAM

INDICIT.



DE

SILPHIO IN VETERVM NVMMIS,

AC DIVERSIS PLANTAE SPECIEBVS.

De Silphio Cyrenaico agitur.

Solo mediocriter pingui laete creſcunt plantae, et nimis pingueſcente agro, fere, ſicut opulenti in republica ciues luxuriantur, humorem hoc auidius imbibunt, quo largius eum diſſipant: ita vero ſibi ſuaeque ſtructurae vim inferunt, et facile pereunt. Quo fato, fortaſſis etiam incolarum auaritia et negligentia, et quidem magis, quam barbarorum incurſionibus, vt STRABO vult, [1]) ſilphium, ſiue laſerpitium, in agro cyrenaico deletum fuit, cum a condita Cyrene vtilioris huius plantae ma-

1) *Geograph. L. 17.*

gnus terrae tractus [2]) ferax esset. Nam, tempore, quo Aegyptus in Romanorum potestatem redigebatur, [3]) vix supererat, vt etiam Romani inter rarissima succum, qui prae syriaco [4]) suauior erat, referrent, neque

2) HERODOTVS *Edit. Lugd. Bat. 1735. Melpomen. L. 4. c. 169:* A portu Menelaio et Aziri silphium incipit, ab insula Platea pertinens vsque ad os syrtis. THEOPHRASTVS *Hist. Plant. L. 6. c. 3.* tractum Libyae quatuor mille stadia vult complecti. STRABO *Geogr. L. 1. cap. vltimo* eum mille stadia longum, trecenta latum, dicit. PLINIVS *Hist. nat. L. 19. c. 3.* circa Hesperidum hortos, syrtemque maiorem, hinc circa Berenicen quoque, crescere silphium, habet.

3) PLINIVS *l. c.* Iulius Caesar ex aerario protulit cyrenaici succi M. D. pondo. *ibid.* PLINIVS dolet, non amplius cyrenaicum probatissimum haberi, sed, quale in Perside, Media, Armenia, large nascitur, et multo infra cyrenaicum est, ac gummi, aut sagapeno, aut faba fracta, adulteratum est. SCRIBONIVS LARGVS *Compos. med.* ambigue dicit: Laser cyrenaicum, si poterit inueniri, sin minus, Syriacum. Etiam GALENVS loquitur cum conditione, si adsit cyrenaicus succus. MARCELLVS *de Medicamentis*, verum laser frigida dilutum ad digestionem iuuandam commendat. An seculo quarto per iocum Episcopus Cyrenes SYNESIVS *Epist. 133.* Τρύφωνι ὀπὸν σιλφίε πολὺν pollicetur? vbi subiungit: Βάττε γὰρ ἀκούεις αὐτε δήπου. PAVL LVCAS *T. 2. p. 86. Voyag. dans l'Asie mineure etc.* agrum Dernensem prouinciae cyrenaicae plenum planta obseruauit: nec meliori tamen successu eam descripsit et cognouit, quam medicastrum alias in his terris se gessit. Vocat plantam solffione, et serpissione: Arabes hodie vocant eam Cefie vel Zarra.

4) Etiam Persico, Medico, Armenico, et in Caucaso nato, quorum mentionem faciunt THEOPHRASTVS, DIOSCORIDES, PLINIVS, STRABO, et alii. Vid. EZECH. SPANHEMIVS *de vsu et praestantia numismatum Differt. 6. de silphio*, vbi et e loco

neque amplius venalem eum et obuium haberent. Alius ſuccus e ſilphii radice, quae cubitum longa, vel maior, elicitur, vt tradit THEOPHRASTVS: alius vero caule inciſo colligitur, vnde nomina rhizias et caulias; [5]) quanquam ab aetate poſterioribus ſcriptoribus vterque ſuccus ita vix diſtinguatur. Cl. SALMASIVS [6]) plantam pro perenni habet. At Cyrenenſes apud THEOPHRASTVM diuerſa referunt. Alii annuam plantam et radicem, alii quotannis hanc, circumfodiendam eſſe, perhibuerunt. Nam, ſi ſibi relinquatur planta, tum vno anno radicem et ſemen debiliora perficere voluerunt. Videtur: non neglectam plantam aliquot annis vixiſſe. Viliorem radicis, quam caulis, ſuccum eſſe, PLINIVS addidit; ſed, cum huius, et DIOSCORIDIS, et aliorum, aetate dudum extinctum Cyrenaicum ſilphium fuerit, hinc cum SALMASIO, quoad fieri poteſt, THEOPHRASTI teſtimonio tantum nos nitimur: et hanc diſtinctionem negligimus. HIPPOCRATES, [7]) cum reliquis fere veteribus, quo-

loco apud GALENVM *Expoſit. Diction. Hippocr.* probat, iuxta Cyrenaicum Aethiopicum olim in pretio habitum fuiſſe. Sed facultate cum laſere Cyrenaico conuenire Libycum DIOSCORIDES *L. 3. c. 93.* de ſilphio habet, quod magydaris vocatur: cuius vero radix minus craſſa, acris et fungoſa, ex qua non profluit ſuccus.

5) THEOPHRASTVS *l. c.* e radice, quae e ſolo nonnihil extuberat, perinde, ac e caule, lac erumpere, dicit.

6) *Plinian. exercitat. in Solinum c. 27. p. m. 251.*

7) *De Diaeta acutorum* et *paſſim.* Vid. GALENVS *in Lexico Hippocratis.*

rum aetate cyrenaicum adhuc extabat, radicem, tanquam praecipuam plantae partem, κατ᾽ ἐξοχὴν ſilphium, ſuccum vero ὀπὸν vocauit, et caulis nomen retinuit. Folium μάσπετον dictum eſſe, THEOPHRASTVS refert. Parum itaque ad nos attinet, quod DIOSCORIDES caulem ſilphion, a nonnullis autem radicem magydarin, dici, aſſerat. Quando THEOPHRASTVS ſcribit: μετὰ ταῦτα τὲ τὸν καυλὸν, ἔκ δὲ τούτε μαγύδαριν, καὶ τὸ καλέμενον φύλλον, SALMASIVS omiſit particulam καὶ. 8) Quo minus certum eſt, quod hic infert, ſemen latum κατ᾽ ἐξοχὴν phyllon appellari. THEOPHRASTVS *initio capitis de ſilphio* σπέρμα dicit φυλλῶδες, quale eſt φύλλον, quod μάσπετον ſecundum verba audit, quae praecedunt; vt eam ob cauſſam diſtinctio inter τὸ φύλλον, tanquam ſemen, et τὰ φύλλα, ſiue folia, ſaltem hac expoſitione, vix locum habeat, quam SALMASIVS affert. Ita HIPPOCRATES *c.* 72. *L. d. natur. muliebri* φύλλον et cuminum Aethiopicum, et colocynthidem agreſtem in ſuppoſitorio ad menſes prouocandos praeſcribit. GALENI ad mentem etiam latino in textu ſilphii ſemen legitur. Sit ita, quod HIPPOCRATES per phyllon nihil aliud, quam ſilphii ſemen, non vero

8) Vid. Textus THEOPHR. *Edit.* IOH. BOD. A STAPEL, *Amſtelod. 1644. fol.* It. in Operibus THEOPHR. *Edit.* DAN. HEINSII, *Lugd. Bat. 1613. fol. p. 122.* Etiam cum textus latinus, verba graeca, licet puncto diſtincta, tamen in ſingulam periodum contrahat, fallacia videtur ſubeſſe compoſitionis et diuiſionis. Τέτε δὲ ἔιναι σπέρμα puncto ſic interpoſito diſtinguitur a verbis τὸ καλέμενον φύλλον.

vero folium, ſignificauerit; quandoquidem contra GALENI *expoſition. diction. Hippocrat.* nil habemus dicere; interim quoque GALENVS ſemen, ſicut folium, a nonnullis *μαγύδαριν* nuncupari, ait. An ſecundum verba THEOPHRASTI *ἐκ δὲ τούτου μαγύδαρις* haec vt ſuccus e caule exit? An, et ſemen, et ſyriacum ſilphium, magydaris vocata fuerunt, ſicut pluribus probare SALMASIVS annititur? PLINIVS *l. c.* caulem et ſyriacum laſer hoc nomine inſigniri retulit. Ecquis omnes appellationes, quae poſt extinctum Cyrenaïcum ſilphium vſu valuerunt, et, quas ſcriptores ſaepe confuderunt, inter ſe conciliabit? Tantum e THEOPHRASTO certius conſtat: circum Syriam quod creſcit, ſilphium, magydarin vocari; *ἡ δὲ καλουμένη μαγύδαρις ἕτερον ἐστι τοῦ σιλφίου, μανώτερον τε καὶ ἧττον δριμύ.* *conf. cap. 11. Lib. 1.* De Cyrenaico ſilphio fabulam PLINIVS *l. c.* ex auctoribus Graeciae licet euidentiſſimis refert: ſcilicet, natum id eſſe imbre piceo, repente madefacta tellure etc. in cuius memoriam imbris picoſae, triſtis, ac craſſae, nomen quoque acceperit. Quod ita apud Cyrenenſes annis ſeptem prius, quam ipſi vrbem inhabitarent, factum; quemadmodum e verbis THEOPHRASTI *l. c.* colligitur. [9]) De Batto autem, conditore Cyrenes, et rege, vetuſtiſſimus ARISTOPHANIS Scholiaſtes, qui alio loco ſilphium vocat

9) Trecentis ſeptem annis, antequam SIMONIDES magiſtratum Athenis gereret, h. e. ſecundum IOH. BOD. A STAPEL *l. c.* trecentis annis tribus minus, antequam ſcriberet THEOPHRASTVS.

vocat radicem in Lybia natam ad vſum menſarum et medelas, etiam ex ARISTOTELIS *de Republ. Cyrenaeor. libro* affert: *) quod, cum ſummum honorem ei exhibere ciues ſtuderent, ſilphium donarint, olerum omnium pulcherrimum, ſimulque, (vt alii dictionem explicant) numiſma cuderint, in cuius altera parte regia facies erat inſculpta, altera ſilphium. Verba haec ſunt: ἐποίησαν εἰκόνα· ὡς δὲ τινές, δακτύλιον· ἐν ᾧ ἡ πόλις αὐτῶν προσφέρει τῷ βασιλεῖ τὸ σίλφιον. At apud HESYCHIVM legitur, ὥστε καὶ ἐν τῷ Νομίσματι, ὅπου μὲν AMMΩNA, ὅπου δὲ σίλφιον ἐγκεχαράχθαι. Vera, et falſa haec narratio eſſe, ſicut etiam prouerbii apud HESYCHIVM [10]) de Batti ſilphio, ſiue de re inuſitata, vel pretioſiſſima, inuenta ratio, aliquo, vel nullo, fundamento niti poterit, cum ſecundum HERODOTVM [11]) Afri quemcunque Regem Battum nominent, et regia facies in nummis, quos STAPELIVS et alii, pinxerunt, ſit Iouis Ammonis; ſicut etiam vnus alterque cum his conuenit nummus, quem apud amicum vidimus. Plantam excelſam, ramoſam, ſecundum THEOPHRASTVM craſſa, cubitali, vel quoque longiore radice, et eius capite, vel tubere, quod ſupra terram eſt, natam,

*) Vid. ARISTOPHANES *Plut. Schol. 926. Edit. Amſtelod.* LVD. KVSTERI *fol. a. 1710.*

10) HESYCHIVS *in Lexico.*

11) *l. c. cap. 155.* Battum Regem et ſilphium in nummis *vid.* BEGERI *Theſaur. Brand. T. I. p. 518. 520.* Sic Ptolomaeos in nummis cum cornu Iouis, et in aduerſo ſilphium *vid.* apud EZECH. SPANHEMIVM *l. c.*

tam, largimur fuiſſe inſtructam folio, cuius color illum auri aemulatur, et campos cyrenaicos pulchre exornaſſe; ſicut, inter ſpecioſas herbas vmbelliferas, lucidae quoque ferulae in Africa, in noſtro, aliorumque curioſorum hortis laete pulchreque vigent. At, plantae pretium et honorem augebat, quod, ſicut ille refert, caulis elixus et aſſus hominum cibo omnibus modis idoneus eſſet, ac radices in aceto deciſas manderent: [12]) ſuccus autem in Pyraeeum portum quotannis adueheretur, vt, ob reditus inde auctos, per ſe commendatiſſima planta eſſet, quo magis cognatum humorem, vt cum HIPPOCRATE [13]) loquamur, et a ſole coctum, cyrenaica planta prae ſyriaca et aliis ferret. Nil verbis diſertis de ſuaui odore cyrenaici THEOPHRASTVS ſtatuit: curatius vero modum colligendi ſuccum deſcribit. „Quadraginta diebus ſuc-“ cus, dicit, capitur duplex, alter ex caule, alter ex“ radice.“

12) Ad foetorem oris corrigendum, et gratum inter mandendum halitum, guſtumque; licet neque veteres ad odoratas radices illam ſilphii retulerint, neque ex his ſaltem THEOPHRASTI verbis ſatis pateat ἔυοσμον ſuccum, vt vult SALMASIVS *d. Homonym. Hyles Iatric. c. 96.* vel ἡδύοσμον fuiſſe, vt ſcribit ARISTOPHANIS Scholiaſtes. HIPPOCRATES *Lib. de internis affection.* ad voluulum primum potionem ex lente cum pauca farina, ſale, et aceto decoctis praeſcribit, et deraſum laſer addit: nihilominus boni odoris gratia pulegium adiicit. Etiam de grato et ingrato ἔν τῷ σμυρνίζειν apud DIOSCORIDEM diſputari poteſt.

13) *Lib. d. Morbis Edit. Foeſ. p. 499.*

„radice. Radix nigro cortice tegitur, eumque detra„here ſolent. Sunt veluti certae menſurae caedendae „radicis. Quibus, quantum conferre putatur, ad fu„turam caeſuram reſeruantes, reliquum abſcindunt. „Nec enim oblique, neque plus conſtituto caedere li„cet. Corrumpitur enim, putreſcitque, ſi diu man„ſit. [14]) Folio pecus vere veſcitur, et purgatur: „τὸ δὲ φύλλον ὃ καλοῦσι μάσπετον, ὅμοιον τῷ σελίνῳ. σπέρμα „ἔχει πλατὺ, φυλλῶδες, οἷον τὸ λεγόμενον φύλλον.

Silphium ſyriacum comparatur. „Laſer, ſecundum DIOSCORIDEM, praefertur „modice ruffum, translucens, σμυρνίζων (ſiue Myrrhae „aemulum, **) non porraceum, [15]) odore validum, et „vehe-

14) Si modo per alia argumenta etiam probabile ſit, plantam, vnde hodie Aſa foetida, eandem, ac veterum ſilphium, eſſe, certe hic modus caedendi radicem apud THEOPHRASTVM et alter caedendi radicem officinarum laſeris hodierni plantae, qualem KAEMPFERVS *Amoenitat. Exot. Faſcic. 3.* affert, plurimum inter ſe conueniunt. Nam, denudata, et praeparata ad caeſuram radice, quae ſicut maximus e raphanis ſolida eſt, tribus per decem, pluriumque, dierum interualla diſtinctis collectionibus, quae ſingulae quinque, vel plures, dies poſcunt, certae menſurae orbiculum, craſſitiei culmi auenacei, alternis diebus Perſae praecidunt, lacteumque aſae foetidae ſuccum verſus verticem ita alliciunt, qui tertio die tanta in diſco copia eſt, vt ipſum, quippe facile ſpiſſeſcentem, et aëre, ſoleque ſiccandum, detergere cum cura, et colligere, operae pretium ſit.

**) An, quoad pelluciditatem et colorem, an, qua ſaporem et odorem, ſicut paullo abſolutius vult SALMASIVS; etſi de grato halitu in ſapore odoreque myrrhae plures aliter ſtatuent. De Cyrenaici odore vehementi THEOPHRASTVS et HIPPOCRATES, et Comici apud ATHENAEVM, nil ferunt.

15) Comparat DIOSCORIDES inter ſe vtrumque ſilphium, et ex

vehemens, ſuaui guſtu, quod dilutum facile albeſcit;“ Cyrenaicum, ſi quis deguſtarit, humorem toto cor-“ pore ciet, blandiſſimo odore, adeo, vt ne os quidem“ guſtanti, niſi paullulum, ſpiret. Medicum et ſyria-“ cum minus viribus valens, [16]) et magis viroſum red-“ dit odorem. [17]) Efficaciſſimum laſer, mox folia,“ poſtremo caulis. Radix Libyci minus craſſa, acris et“ fungoſa, ex qua non profluit ſuccus, eiusdem cum la-“ ſere facultatis.„ Syriaca quoque planta tenerior erat, et minus acris, ſecundum THEOPHRASTVM, ſed, ſine dubio ſucco turgida radix ſyriaci fuit, vnde ὀπὸν, in modum lacrymae, magna copia veteres extraxerunt, et ſiccando laſer impetrarunt. Cyrenaico THEOPHRASTVS corpora purgari habet. Apud HIPPOCRATEM ὀπὸς σικύης et ὀπὸς σιλφίε vterum emolliunt,

 et

ex his verbis videtur: ſyriacum odorem porri, hinc et ſaporem, exhibuiſſe, qualem ſenſum vere etiam Aſa foetida obfert, vt et haec et illud ſyriacum ſilphium σκοροδολάσαρον dici poſſit. Nam, haec in textu DIOSCORIDIS ſunt, cum mox diuerſa de Medico et Syriaco ſeparatim ille doceat, et, quae ſequuntur, verba, de Cyrenaico accipienda.

16) Minus oleo aethereo, acri et aromatico, ſed fugaci, et hoc ſuauiore, auctum, quo cyrenaicum palato iucundum, toti naturae amicum, et hoc nomine pro ſcopo languidos reficiendi magis efficax et viribus valens erat.

17) Suauis plerisque viſus ſapor et grauis odor vix conueniunt: viroſus, (ſi ita recte explicetur,) halitus ſyriaci ſilphii, licet nil foetidi, putridique inuoluat, ſine dubio pluribus hodie pro magis inſuaui, quam accepto, haberetur; ſi modo, ipſum ſyriacum ſilphium hodie extare, certum eſſet.

et hic vltimus inflare contractum valet, [18]) ſin externe, cum melle et cucumeris agreſtis medulla, parum tuſi laſeris [19]) excipiatur, et oſculo vteri, quantum ſuſcipere poteſt, inferatur, interne autem ſub hoc tempus, in cibo, cum alliis quamplurimis, et laſeris caulem aegra ſumat, et quidquid ventrem inflare poteſt.[20]) Ad putridam ſecundinam expellendam ille ſuadet ſuccum, ad fabae graecae quantitatem ex aqua potum.[21]) Alio loco, tum caulem, tum ſuccum, quibusdam per aluum minime deſcendere, ſed choleram aridam parere docet, idque praecipue, ſi cum multo caſeo et bubularum carnium eſu miſceatur, quarum eſu carnium alias melancholicae affectiones ingraueſcant etc. [22]) Ad prolapſum vteri ſemen laſeris, (φύλλον a GALENO vertitur, [23]) contritum, bibendum, et in prandio mercurialem et braſſicam, aceto mulſo, ſale, laſere, et oleo condita edenda dedit.[24]) GALENVS [25]) ſuccum omnes caliditate et tenuitate ſuperare, et maxime per halitum digerere, et alio loco ſuccum, caulem,

18) Hinc in ſpaſticis vteri doloribus, et pluribus vteri morbis, omnino in crebriore vſu fuit; quibus hodie quoque aſam foetidam adhibere expedit.

19) Videtur ita ſiccum fuiſſe ὀπὸν, vt tundi potuerit, quod plures eius generis lacrymae haud ferunt.

20) HIPPOCR. *L. de ſuperfoetat. Edit. cit. p. 263. 265.*

21) *Lib. I. d. Morbis p. 608.*

22) *Lib. d. ratione victus in morbis acutis p. 404.*

23) *In Exegeſi vid. not. Foeſ. 102. Lib. 2. d. Morbis Mulier.*

24) HIPPOCRATES *l. c.*

25) *Lib. 8. d. Medicament. facultatibus c. de ſilphio.*

lem, et radicem ſtrenue calida, omnia tamen flatulentae eſſentiae et concoctu difficilia eſſe cenſet. [26]) DIOSCORIDES *l. c.* in vſu medico declarando amplior eſt. PLINIVS plura narrat. [27])

De caule ſilphii elixo et aſſo, idoneo hominum cibo, et de manſa radice ſupra THEOPHRASTVS ſtatuit: Comici veteres apud ATHENAEVM plura ferunt. [28]) Vix aliqua de vſu ſilphii in culina HIPPOCRATES, *De vſu ſilphii in cibo differitur.*

B 3

26) Ὀπὸν per excellentiam non tantum Cyrenaicum, ſed etiam Medicum et Syriacum, nuncupari, *ibid.* habet.

27) *Lib. 22. c. 23.* Praeterea ſingularem in laſere acrimoniam Medici notabant. Sic corpus etiam ſanum, ſin imponatur, ſicut allium, vel ſinapi per ſe exulcerare dicit SCRIBONIVS LARGVS *Compoſ. Med. 174.* Apud COEL. AVRELIANVM pro cataplaſmate cum bulbis, ſiue ſquillis acerrimis teritur. Idem, ne acrimonia offendat, laſer cera inuoluit, et bibendum dedit. Cuius ſcriptoris varia colligit MART. LISTERVS *notis in* APICII *L. I. c. 30.* Inter acriora odoramenta laſer ex aceto. Laſer cum aceto, ex quo panis madidandus. Laſer aceto ſolutum, quo comedenda tinguntur. Dandum laſer cum aceto et liquamine. Laſer aqua ſolutum, vel aceto, et admixto ſinapi, aut ouo ſorbili transuoratum. Ob acrimoniam tumorem prouocant euphorbium, ferulago, laſer, ſinapi. Plura, quae ad vſum in medicina pertinent, ex aliis referre taedet. Tantum de vſu ſilphii, vel laſeris, in medicina veterinaria; vid. Scriptores rei ruſticae, ſecundum indicem a IOH. MATTH. GESNERO adiectum.

28) Ex EVBVLO apud ATHENAEVM *L. 2. p. m. 63.* et ANTIPHANE *L. 14. p. 623.* patet: pro culinae vſu ſilphii caulem, et quidem ſecundum ANTIPHANEM ſiccum fuiſſe ſeruatum: et ALEXIS *L. 3. p. 117.* ſub finem praeparationis ſalſamentum ſilphio, vt mugilem ANTIPHANES *l. c.* caule ſilphii Libyco, acetoque

POCRATES, perpauca ARISTOPHANES, habet. Hi, et THEOPHRASTVS, de ſuaui odore fere ſilent. Breuior DIOSCORIDES in culinari vſu tradendo, quo in exponendo Medico amplior eſt. PLINIVS ſcribit: eſſe laſer Cyrenaicum in vſu et medicamentis, et caulem cibis quocunque modo aptum. Totus ſiquidem et elixus eſtur. Hoc laſer ad pondus denarii argentei fuit penſum, inter eximia naturae dona numeratum, ab aegritudine recreationi efficax habitum in cibo, concoctionis plurimum conferens ſenibus et feminis. Ob egregiam calefaciendi virtutem ſyriacum quoque laſer oxyporis condimentis ad intinctus in quotidiano erat ciborum vſu, quibus gratum ſaporem, hyeme magis, quam aeſtate, adferebat. Sic mirabilem guſtatum apud APICIVM in conditura ad asſaturam habuerunt, quae cum puluere fiebat, cuius ſexaginta et octo ſcrupulis, ſex ſcrupuli laſeris radicis admiſcebantur. L. APVLEIVS [29]) laſaro infectas carnes a delicatis, ſed a ſe non, expeti dicit. Hercules apud EVBVLVM, vt habet ATHENAEVS [30]) de ſilphio cyrenaico et aliis ſtatuit:

Ego nec herbarum caulibus ne ſilphii quidem
Neque ſacrilegis et amaris paropſidibus
Ne bulbis me ſatiaturus huc acceſſi etc.

APICII

acetoque cohoneſtat. Et *L. 3. p. 101.* ARCHESTRATVS ſuis ventrem, et elixam porcinam vuluam cum cumino, aceto acri, et ſilphio acuit. etc.

29) L. APVLEIVS *L. 10. metamorph.* 30) *L. 2. c. 63.*

APICII oxygara, laſerata, et alia, laſer, quod multo infra cyrenaicum eſt, [31]) ingreditur. [32]) Quorum, ſicut reliquorum aetati, guſtui, praeiudicato, atque culinis, haec omnia relinquimus; praeſertim, cum laſer ſagapeni, quod teſte DIOSCORIDE guſtu acre eſt, et medium inter laſer et galbanum redolet, aemulus fuerit ſuccus, et, quod alia plura veterum teſtimonia his deliciis aduerſentur. PLINIVS, cum narraſſet: probationem ſinceri primam eſſe in colore modice ruffo, et, cum frangitur, candido intus, mox translucente, et gutta aquae, ſaliua liqueſcere, nunc ſubiungit: Vſus in multis medicaminibus. [33]) Ex Syria, dicit *l. c.* nunc maxime importatur, deterius Parthico, ſed Medico melius, extincto omni Cyrenaico. Videtur: aetate HIPPOCRATIS, et THEOPHRASTI aliquem cyrenaici ſucci, temporibus DIOSCORIDIS et PLINII vix vllum Syriaci, vel alius, laſeris, demum vero huius vltimi laſeris magnificum et frequentem, poſterioribus ſeculis, ſigillatim cum floreret APICIVS, in cibo vſum fuiſſe. Laſer aqua exigue, magis vero addito aceto, et ſale ſoluerunt: prout minus, vel magis, cibos ſapore laſeris acuere volebant. [34]) Nam, et Galba-

31) Syriaco, vel Perſico, laſere illis temporibus vtebantur, ſicut ex illis ſequitur, quae ſupra allata fuerunt.

32) *Vid. Libri de re culinaria.*

33) PLINIVS *L. 19. c. 3. et L. 22. c. 23.*

34) APICIVS *c. 30.* de laſerato: Laſer cyrenaicum, vel Parthicum, tepida diſſoluatur cum aceto, liquamine (quo ſal erat ſolutum)

Galbanum, et aſa foetida, et plures gummi reſinae, ore ſi detineantur, liqueſcunt, vel emolliuntur, et, ſin aqua infundantur, ſaporem huic conciliant; et ſi aceto, vino, oui vitello, ac ſpirituoſis, penitius ſoluantur. Expedit: in culinis vario cum moderamine, quaecunque grauem odorem et ſaporem conciliant, miſcere; quemadmodum de allio et cepis, de capparis fructibus, aliisque, conſtat. Nam, per ſe pluribus hominibus haec aduerſa eſſe ſolent.

De laſere officinarum hodierno disquiritur.

SERAPIO [35]) de Altiht Arabum, quod aſa foetida eſt, ad verbum refert, quae GALENVS et DIOSCORIDES de ſilphio ſcripſerunt. Deinde non poterat obuia in Perſide ſpecioſa, et vehementis odoris, ſuccique turgida aſae foetidae planta THEOPHRASTO, DIOSCORIDI, et PLINIO ignota eſſe: quam nihilo minus haud apud eos inuenimus, niſi ipſam aſam cum ſilphio vno aut altero comparemus. Ex altera parte fieri non potuit, vt planta annua, vel biennis,

lutum) temperato. Sic aqua et ſale, vel aceto, in oxygaris, et aliis, apud APICIVM laſer ſoluitur. MARCELLVS, *de Medicamentis*, ad anginam verum laſer aqua dilutum craſſius illinit, et paſſim illud ad iuuandam digeſtionem commendat. SCRIBONIVS LARGVS *Compoſ. 67.* Cyrenaicum, vel Syriacum, laſer aqua dilui praecipit. Ita quoque Aſſam aqua ſoluit AVICENNA *L. 2. Tract. 2. Oper. p. 259.* pro gargariſmo, ad vocem clariorem reddendam. De Sagapeno dicit DIOSCORIDES: reſoluitur vt laſer, ruta, aqua, et amaris nucibus, aut melle, aut calido pane.

35) *Lib. ſimpl. c. 251.* AVICENNAE quoque dicitur Andsiudaann, it. Almaharad. *L. 2. c. 52. 53.*

biennis, vel plurium annorum, pluribusque regionibus, et locis quidem agreſtibus, quae olim creuit, hodie non amplius ſuperſit, et ita ſilphium ſyriacum, perſicum etc. extare debet, quod tamen cum nulla planta melius, quam cum aſa foetida, comparatur. Contra, crebrior nominis mutatio mouet ſuſpicionem, et maxime aſae vocabulum, quandoquidem σίλφι, σίρφι, vnde latinorum ſirpe, vel ſerpe, et laſerpitium, ſicut apud PLAVTVM legitur, [36]) hinc vero laſer, laſar, et graecorum recentiorum λάσαρον, tandem ex laſare, vel laſaro, aſa, vel aſſa, nomen factum eſſe dicitur. [37]) Auget ſuſpicionem aſae illius foetor, nec gratus viſus ſapor, quod hi ſenſus cum gutture Romanorum, et aliorum, niſi ipſum aeneum facere velimus, hinc cum ſilphii, licet cyrenaico inferioris, in cibo vſu aegerrime comparentur. Sed, deguſtauit KAEMPFERVS *l. c.* apud Indos cruſtula, aſa foetida imbuta, ſapore minus ſibi aduerſa viſa, ac antea putauerat. Quibus populis, inprimis Benianis, familiare eſt, in cibo illa aſa foetida vti, et hi vltimi oras craterum eadem lacryma, pro appetitu male habentium excitando, perfricare ſolent. Ad portum Ormus hodie aſa foetida omnis ex Perſide fertur, et in Indias magna

36) *Rudent. Act. 3. ſcen. 2.*

Teque oro, et quaeſo, ſi ſperas tibi
Hoc anno multum futurum ſirpe et laſerpitium.

37) Vid. *Not.* IOH. BOD. A STAPEL in THEOPHRASTI *l. c.* et SALMASIVS *Exercit. in* SOLIN. *cap. 27.*

magna copia, et in alias regiones, exportatur. Tantum pro ſilphio Medico loquitur SALMASIVS, [38]) quod STEPHANVS ex STRABONE de Mediae regione affirmet: *φέρει τὲ σίλφιον ἡ χώρα ἀφ᾽ ȣ̃ ὁ Μηδικὸς καλȣ́μενος ὀπὸς, ȣ̓ πολὺ λειπόμενος τȣ̃ κυρηναϊκȣ̃.* Hinc ille concludit: tam diuerſum a Cyrenaico Medicum haud potuiſſe eſſe, vt hoc male oleret, illo ſuauiter ſpirante. Diſputatio apud SALMASIVM eo redit, vt Perſicum laſer *κάκοσμον* fuiſſe, atque cum Haltith Arabum [39]) conuenire, is annitatur probare. Tantum obſtat PLINII locus, e quo ſupra conſtitit: laſer Syriacum Medico melius, ſed Parthico deterius, fuiſſe. Nihilo minus quoque PLINIVS *l. c.* aſſerit, Perſicum laſerpitium cum alterius apud THEOPHRASTVM commemorati deſcriptione conuenire. Vti videtur, haud ita inter ſe diuerſa fuerunt, praeter Cyrenaicum laſer, ſilphia reliqua, quaecunque aliis regionibus naſci diximus. Ita, cum Syriaco, aut Perſico, aſam foetidam conuenire, probabile cenſetur.

De nummis Cyrenaicis, et planta La-

Opportunum modo erit, in Cyrenaicos nummos inquirere, et explorare, an aliquam ſilphii, et a KAEMPFERO

38) *De Homonym. Hyles Iatricae c. 96. de ſilphio.*

39) Eſſe hoc ingratum, cibis tamen aliquid ex eo adiici, fatentur R. MAIMONIDES, et BARTENORAS, ad Miſchnam Interpretes; et video SPANHEMIVM *l. c.* eo quoque inclinare, vt hoc de Syriaco ſilphio, et Perſico, non vero de Cyrenaico, intelligi debeat. Sed aliis *ἡδύοσμος*, aliis *κάκοσμος* radix et planta eſt, vt habet Scholiaſtes ARISTOPHANIS *Equit. p. 213. n. 890.* Et vel ex hoc loco patet, plus fabuloſi, aut praeiudicati, quam veri, in ſuaui odore et ſapore ſilphii fuiſſe.

PFERO pictae asae foetidae plantae possimus inuenire *serpitii aliqua adiiciuntur.* similitudinem. Cum haec scriberemus, amicus nobiscum communicauit aeneum nummum, Stapeliano paullo maiorem, et duos argenteos, altera fere parte minores. In omnibus vna facie plantam elatam et vmbelliferam silphium notamus: deinde principem caulem medium, siue scapum crassissimum, foliorum pedunculos crassissimos, coniugatos, vaginales, siue canaliculatos, qui amplexantur caulem, et desinunt in reliquum folium duabus vel tribus laciniis ruditer indicatum; e quibus vltimis modo probabili nil concluditur, cum in diuersis vmbelliferis herbis tantarum vaginarum alii lobi in folio latiores, alii etiam ferulacei et capillares, imo vero tota folia vel cubitum longa possint esse. Sed, vt nummus vnus alterum illustrare solet, ita apud SPANHEMIVM *l. c.* exhibetur Barcensis nummus, quo caput Iouis, et in altera parte silphium, foliorum laciniis latis, et a ferulaceis et capillaribus omnino diuersis, est. Folia, siue *μάσπετα* secundum THEOPHRASTVM et PLINIVM sunt apii similia; quanquam eiusmodi comparationes apud scriptores veteres minus accurate factae plures habeantur. In Stapeliano nummo, qualem fere SPANHEMIVS *l. c.* etiam exhibet, vaginarum tria paria, (sicut haec in quatuor sculptis a SPANHEMIO vna cum foliis sunt,) et inter duas superiores, velut e spatha erumpit vmbella imperfecta, globosa. Talem vid. *notis in Plautum* TAVBMANNI *l. c.* cum stella, et

 KYPA:

KYPA: in altera parte Iouis Ammonis caput. In noſtris duo paria pedunculorum vaginalium a ſcapo ſecedunt, et in argenteo vno area magis quadrata, quam rotunda, qua ſilphium, vt in Stapeliano; ſed vmbella a cauis foliorum pedunculis diſtincta, tamen preſſe inſiſtens caulis vertici, in medio nondum explicata, magis compacta, in ambitu vero ſex vmbellis minoribus ſolutis, velut citius florentibus, circumdata. De reliquo, ſcapus, et quidem clarioribus ſtriis, quaſi ſulcis aſper eſſet, notatur. Oppoſitam partem argentei nummi ſtella 40) occupat, quae fit e quatuor radiis maioribus, et intermediis duodecim minoribus; ſcilicet his vltimis in obtuſos apices deſinentibus. In ſecundo nummo argenteo, eiusque vna facie, caput Iouis, vt in Stapeliano, in altero ſilphium, eſt. Caulis non minus craſſus et ſtriatus ſupra pedunculos foliorum canaliculatos ſuperiores admodum continuatur: hinc diſtincto ſcapi vertice vmbella perfecta, ſine minoribus circumfuſis, ſpectatur. In aeneo nummo caput Iouis, in altera parte ſilphium, ſicut in ſecundo argenteo, ſed omnia in maiore nummo craſſiora et clariora, et ante foliorum pedunculos

40) An vnius e Dioſcuris vt Caſtoris ſtella? nam SPANHEMIVS *l. c.* e *Theſaur. Brandeburg.* duos commemorat nummos, cum imberbi capite et arietino cornu, et in altera parte iuxta ſilphium duas ſtellas locari, et Dioſcuros has ſignificare, loco e PAVSANIA, aliisque, probat, et illuſtrat. Deinde alium e Gaza Brandenburgenſi nummum pingit, quo Eques gradiens, tanquam victor cum petaſo in capite, retro ſtella, veluti ſole duce reuertens, et cum ſilphii itidem ac initialibus Cyrenarum literis.

culos tres laciniae, obtusis apicibus finitae. Scapus supra foliorum exortorum paria longius continuatur, striis asper, cui vmbella insistit perfecta. In Stapeliano nummo duo inferiores foliorum pedunculi a dextris et sinistris alium pedunculum, vel potius lateralem vmbellarum scapum, mittunt, qui etiam in nummis tribus nostris habentur, et vmbellae paruae ab vtroque latere insistunt. Igitur gaudet silphium medio caule excelso, crassissimo, striato, foliorum principiis amplissimis, coniugatis, caulem complectentibus, semine, vt supra vidimus, lato, foliis apii similibus, hinc neque tenuibus, et talibus, instruitur, quae in apices extremos nimis acutos et teneros desinant. An edulia fuerint folia, contra SALMASIVM disputat IOH. BOD. A STAPEL *l. c.* et ipsum negat. Et, si e comparatis aliis plantarum vmbelliferarum magnis et crassis caulibus iudicium ferre licet, silphii veterum caulis cauus, nec medulla a radice surgente plenus, fuit. Addubitare licet, quidquid etiam THEOPHRASTVS, forte ex relatione, tradat, an operae pretium magis fuerit, ex caule colligere succum, quam apud KAEMPFERVM ex asae foetidae caule huius succum depromere. Itaque veterum silphium non fuit laserpitium, quod in hortis medicorum hodie ita dicitur, et cuius aliquas species STAPELIVS vna cum nummo delineandas curauit. Nam, in hoc folia, ab apio, vel quoque palustri latifolio, aut dulci, satis diuersa, caules leuiores, folia quidem initio caua sunt, sed ma-

gis alterno ordine haec a ſcapo ſecedunt. Quo exemplo, et rationibus ſupra allatis, patet, ſicut a Ferulis v. c. galbaniferis, quae obuiae in Aſia et Africa ſunt, deinde, ſicut ab Angelica, Imperatoria, Oreoſelino, Thyſſelino, et ymbelliferis reliquis, diuerſum ſilphium fuerit. Folium leuiſtici, quod etiam KAEMPFERVS cum aſae foetidae planta comparauit, ad colorem ſilphii accedit, quem auri colorem, ſine dubio paullo abundantius, THEOPHRASTVS nominauit; cum ſufficiat, nonnihil ſplendentis ſubflaui, glaucique nomen coloris. In leuiſtico, medius ſcapus ita haud ſtriis aſper eſt, vt de diuerſis pedunculis foliorum, et aliis conditionibus, inprimis de ſemine, quod haud foliacea cingitur ala, nil modo dicamus. Itaque veterum ſilphium, qua modum creſcendi, cum paſtinaca plurimum conuenire in nummis video, cuius ſimilem etiam KAEMPFERVS aſae foetidae plantam dixit. Addi poſſet ſphondilium, inprimis illud, quod eſt folio anguſto, apud RIVINVM in pentapetalis, et florem rubentem habet, praeſertim, cum quorundam foliorum inciſiones et laciniae quodammodo illis poeoniae foliorum ſimiles ſint, cum quibus vltimis aſae foetidae plantae folii diuiſiones KAEMPFERVS quoque comparauit; etſi male apud hunc pingi folia videantur. Huius aſae ſemen *φυλλῶδες* eſt, et magis cum paſtinacae, quam cum ſphondilii, aut ferulae, aut alius plantae, ſemine conuenit. Quod ſi iam radicem cubitalem nigro cortice veſtitam, e terris nonnihil

capite

capite hirto prominentem, deinde albam ipſius medullam, porro facile ſpiſſeſcentem lactеum ſuccum, eiusque indolem, praeterea radicis caeſuram, de qua ſupra egimus, quin mortem plantae, quae poſt caeſuram radicis ſilphii ſine dubio ſicut mors Aſae foetidae, caeſa radice, ſecuta eſt, ac reliqua, ad ea, quae modo diximus, addiderimus, pluraque, quae apud KAEMPFERVM de aſa foetida relata leguntur, comparauerimus; tum patebit: ſilphium veterum proprii, et ab aliis vmbelliferis, quae nobis innotuerunt, diſtincti generis plantam fuiſſe, et in his omnibus cum aſa foetida ipſum conuenire. Tandem per plura, poſt natum Seruatorem ſecula, huius Haltiht, ſiue foetentis laſeris, vſus culinaris, vna cum medico, delatus videtur, donec deteſtari guſtum fere omnes coepiſſent, et Haltiht e culinis proſcripſiſſent.

Academiam nuper reliquit, qui in virtutis ſuae teſtimonium ſummos in arte ſalutari honores modeſte a nobis petiit,

NOBILISSIMVS ET DOCTISSIMVS
DOMINVS
IOHANNES ARNOLDVS LEBRECHT
HAGEMEYER
LIPSIENSIS
MEDICINAE BACCALAVREVS.

Patrem habuit dexterrimum Chirurgum MICHAELEM ARNOLDVM HAGEMEYER, qui eum bonis literis continuo inſtruendum curauit, et artem chirur-

chirurgicam docuit, et noſter ea ſe eſſe naturae bonitate oſtendit, vt ſuopte ingenio faciat officium, nihilque intermittat, quo doctrinam augere poſſit. Itaque per ſex annos publicis, priuatisque, lectionibus aſſiduum et docilem ego et alii Doctores eum habuerunt auditorem, et in pluribus exercitiis frequenter interfuit, partibusque ſuis defunctus egregie eſt. Neque vero inanem ſe praeceptoribus dediſſe operam, iam pridem examine theoretico, etiam lectionibus, quas ex more publice habuit, nouiſſime autem examine practico pulchre docuit, et partes dignioris Candidati expleuit. Inter conſueta tentamina reliquum eſt, vt Diſſertationem *de Fibra ſenili* Die XVI. Septembr. h. l. q. c. publicae eruditorum cenſurae ſubmittat, et in conflictu cum diſſentientibus ſuperior diſcedat. Quo facto, bene vbiuis merenti Licentiam aſſumendi Doctoris gradum honoris, in virtutis ſuae praemium ſolemni ritu conſequetur, piaque vota pro perpetua ipſius felicitate, praeuio ſermoni academico iungentur. Hunc, quaeſumus, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE GRAVISSIMI, ATQVE CIVES GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI, nobis fauorem exhibete, et Panegyri frequentes adeſte. Quo, ſicut nihil magis optabile et honorificum nobis erit, ita, occaſione data, quibus poterimus officiis, ſtudiisque, animum teſtari gratum, haud intermittemus. Dab. D. D. XIV. poſt Feſt. Trin. A. MDCCXLVI.